

pensum è vitri margine aut potiùs ex ambiente ipsum funiculo scabellum plumbeum eo modo quem figura exhibet, tantique ponderis ut mergendæ campanæ sufficeret: Scabello impositus virunculus seu urinator pusillus, & sic machina tota, ex alligato superne funiculo alio suspensa, subter aquas intra vas vitreum amplius demissa est. Quid fit? Virunculi pedes & femora ad medietatem corporis usque aquis undique tincta; pectus, humeros, caput, superiora omnia sicca sub mediis aquis cernimus, & extractâ machinâ digitis palpamus: merso iterum urinatore nostro tertiumque, eadem experimur, amphibium quasi ipsum, superiore parte corporis in aëre, inferiore in aquis, degentem conspicati: mersâ profundius totâ machinâ, aëris sphaeram, aut conumpotius, intra campanam ad superiora magis compelli, aquasque ipsi succedentes altiùs intra campanam admitti observamus: alio etiam die, quod tunc facere neglexeramus, pertusâ sub aquis campanâ, h. e. foramine parvulo, quod in hunc finem ante paratum cerâque rursus probè obturatum fuerat, aciculâ recluso, omnem è campana aërem bullatim eniti, totumque adeò urinatoris nostri corpus undis undique obrui conspiciamus &c.

IX. Ut igitur horum omnium causas manifestas daremus, jussimus unum alterumque è Collegio scyphum vitreum Vulgarem inversum, erecto tamen situ seu perpendiculariter immergere vasi supramemorato, testesque eos statim habuimus resistentiæ validæ aquarum, aëri ipsas subituro, & vicissim aëris intra scyphum conclusi aquæ subingressuræ obstantis; ut non nisi cum aliqua violentia mergi scyphus in isto situ potuerit.

X. Cumque scyphi fundo ante submersionem chartulas ope ceræ adglutinaassemus, post ejus emersionem etiamnum ficas istas & intactas comperimus.

Ex